

tollitur nec supponitur ad restitutionem ejus quod directe tollitur per peccatum, non oportet restitui; sed quod praesupponitur, sic. Sicut per peccatum quodcumque in moribus non tollitur fides, nec spes, quia peccator et credere et sperare potest; tamen de nullo peccato potest homo liberari sine fide et spe, quia sine fide impossibile est Deo placere, et sic supponitur ad omnem reordinationem. Similiter est de charitate et gratia ». — Haec Petrus, et bene, conformiter ad praedicta.

Verumtamen, ibidem, in sequentibus, dicit aliqua contraria sancto Thomae et veritati. Dicit enim, respondendo ad secundum argumentum superius solutum (α), quod « non est simile. Quia ille qui in solo originali et veniali est, potest ex puris naturalibus Deum super omnia diligere, et sic voluntatem suam reordinare; et est gratus Deo ad bona naturae habenda, et ad mala sensus evadenda, quae non debentur peccato originali; licet non sit gratus quoad habendam gloriam et vitandam poenam damni. Sed ille, qui est in mortali, habet voluntatem deordinatam simpliciter, et est reus poenae aeternae damni et sensus; unde non potest se ordinare; unde pro veniali cum mortali moriens in aeternum punietur. Non sic autem est de originali et veniali. Unde dico quod sine gratia potest remitti veniale in non habenti mortale actuale, non tamen cum mortali; quamvis aliqui dicant quod nec sine (β) gratia simpliciter ». — Haec Petrus, et male. — Quod enim dicit de dilectione Dei super omnia possibili habenti peccatum originale, falsum est, et contra sanctum Thomam, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 109, art. 3, ubi sic concludit: « Homo in statu naturae integre non indigebat dono gratiae superaddite naturalibus bonis ad diligendum Deum super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sed in statu naturae corruptae indiget etiam homo ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis. » — Haec ille. — Et de hoc multa dicta sunt, 2. *Sentent.*, dist. 28 et 29. Unde Petrus quoad hoc false dicit, et, consequenter, quoad hoc quod aliquis possit sufficienter sine gratia conteri de aliquo peccato etiam veniali.

Ad argumentum pro quaestione; patet solutio ex dictis in solutione tertii Durandi (γ).

Et haec de quaestione sufficiant. De qua benedictus Deus omne per aevum. Amen.

(α) Argumentum secundum Durandi. — Cfr. art. praeced., 1. secundo.

(β) sine. — sic Pr.

(γ) Durandi. — Om. Pr.

## QUAESTIO II.

### UTRUM POENITENTIA HABEAT PARTES

**ALTERUM**, circa eandem distinctionem, quaeritur: Utrum poenitentia habeat partes.

Et arguitur quod non. Poenitentia enim est virtus et sacramentum. Sed ei, inquantum est virtus, non assignantur partes, cum virtus sit habitus quidam, qui est simplex qualitas mentis. Similiter etiam ei poenitentiae, inquantum est sacramentum, non videtur quod partes sint assignandae; quia baptismo et aliis sacramentis non assignantur partes. Ergo poenitentiae nullae partes debent assignari.

In oppositum arguitur. Quia partes sunt, ex quibus perfectio alicujus integratur. Sed poenitentiae perfectio integratur ex pluribus, scilicet ex contritione, confessione et satisfactione. Ergo poenitentia habet partes.

In hac quaestione sunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS 1.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Poenitentia habet partes.

Hanc ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 1, in solutione primae quaestionculae, dicens: « In poenitentia non est pro materia aliqua res exterior; sicut in baptismo aqua; sed ipse actus humanus loco materiae in hoc sacramento se habet; qui per quamdam recompensationem offensam culpae praecedentis tollit. In actibus autem humanis est quidam gradus ad perfectionem pertingendi, propter diversas partes hominis, quarum una aliam movet. Et ideo oportet quod diversa secundum ordinem ad perfectionem poenitentiae considerentur. Et haec dicuntur poenitentiae partes. » — Haec ille.

Simile dicit, 3 p., q. 90, art. 1: « Partes, inquit, rei sunt in quas materialiter dividitur totum: habent enim se partes ad totum (α) sicut materia ad formam; unde, in 2. *Physicorum* (l. c. 31), partes ponuntur in genere causae materialis; totum autem in genere causae formalis. Ubicumque ergo ex parte

(α) ad totum. — Om. Pr.

materiæ invenitur aliqua pluralitas, ibi est invenire partium rationem. In sacramento autem poenitentiae, actus humani se habent per modum materiæ. Et ideo, cum plures actus humani requirantur ad perfectionem poenitentiae, scilicet contritio, confessio et satisfactio, consequens est quod sacramentum poenitentiae habeat partes. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio : Omne sacramentum habens plures et diversos actus secundum speciem loco materiæ, habet partes. Sed poenitentia est huiusmodi. Ergo, etc.

**Secunda conclusio** est quod poenitentia, secundum quod est virtus, non habet partes.

Hanc ponit, præsentī distinctione, ubi supra (q. 1, art. 1), in solutione quartæ quæstiunculæ, ubi sic dicit : « Ab eo quod sequitur rem, non accidit aliqua compositio in re; quia componentia sunt priora compositis. Unde, cum actus nostri sint posteriores virtutibus a quibus eliciuntur, diversi actus, qui secundum ordinem a virtute aliqua progrediuntur, non faciunt aliquam compositionem in virtute. Et ideo prædicta tria non sunt partes poenitentiae virtutis; sed poenitentiae sacramenti, quia ipsi actus sunt quasi materia sacramenti, et penes divisionem materiæ partes rei quandoque sumuntur. » — Hæc ille.

Item, 3 p., ubi supra (q. 90, art. 1), in solutione secundī, sic dicit : « Poenitentiae, secundum quod est virtus, non assignantur partes : actus enim humani, qui multiplicantur in poenitentia, non comparantur ad habitum virtutum sicut partes, sed sicut effectus. Unde relinquitur quod partes assignentur poenitentiae, inquantum est sacramentum, ad quod actus humani comparantur ut materia. In aliis autem sacramentis materia non sunt actus humani, sed aliqua materia exterior : vel una quidem simplex, ut aqua, vel oleum; sive composita, ut chrisma. Et ideo aliis sacramentis non assignantur partes. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Nullus habitus habet actus humanos pro partibus. Sed virtus poenitentiae est quidam habitus; partes autem poenitentiae sunt actus humani. Ergo, etc.

**Tertia conclusio** est quod partes poenitentiae convenienter assignantur tres : scilicet contritio, confessio, satisfactio.

Hanc ponit, 3 p., ubi supra (q. 90), art. 2, ubi sic dicit : « Duplex est pars, ut dicitur, 7. *Metaphysicæ* (l. c. 33 et 34) : scilicet pars essentiae, et pars quantitatis. Partes quidem essentiae sunt naturaliter materia et forma; logice autem genus et differentia.

Hoc autem modo quodlibet sacramentum dividitur in materiam et formam sicut in parte essentiae. Unde supra (3 p., q. 60, art. 5 et 6) dictum est quod sacramenta consistunt in rebus et in verbis. Sed quia quantitas tenet se ex parte materiæ, partes quantitatis sunt partes materiæ. Et hoc modo sacramento poenitentiae specialiter assignantur partes, quantum ad actus poenitentis, qui sunt materia huius sacramenti. Dictum est autem supra (3 p., q. 85, art. 3, ad 3<sup>m</sup>), quod alio modo fit recompensatio offensæ in poenitentia et in iustitia vindicativa : nam, in vindicativa iustitia, fit recompensatio secundum arbitrium iudicis, non secundum voluntatem offendentis vel offensis; sed in poenitentia fit recompensatio offensæ secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei in quem peccatur; quia hic non queritur sola reintegratio aequalitatis iustitiæ, sicut in iustitia vindicativa, sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Sic ergo requiritur ex parte poenitentis : primo quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem; secundo, quod se subiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione; tertio, quod recompenset secundum arbitrium ministri, quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio, satisfactio ponuntur partes poenitentiae. » — Hæc ille.

Similia ponit, præsentī distinctione, q. 1, art. 1, in solutione secundæ quæstiunculæ; quæ recitata fuerunt superius, dist. 14 (2). Ait enim sic : « Poenitentia culpæ præcedentis offensam abolet per modum recompensationis cujusdam. Hæc autem recompensatio differt a recompensatione vindicativæ iustitiæ in duobus, etc., » ut supra recitatum fuit.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Tot et non plures sunt partes poenitentiae, quot sunt actus poenitentis requisiti ad recompensationem Deo fiendam. Sed ad talem recompensationem requiruntur isti tres actus poenitentis, et non plures, nec alii : scilicet contritio, satisfactio, confessio. Ergo tot et tales, et non plures, nec alii, sunt partes poenitentiae.

**Quarta conclusio** est quod prædictæ partes dicuntur partes poenitentiae integrales, non autem proprie subjectivæ, nec potentiales.

Hanc ponit, præsentī distinctione, q. 1, art. 1, in solutione tertiæ quæstiunculæ. Ait enim sic : « Quidam dicunt quod illa tria sunt partes subjectivæ poenitentiae, uno modo poenitentiam considerando, secundum quod habet (6) rationem tantum poenæ : quia

(2) Cfr. dist. 14, q. 1, art. 3, § 1, l.

(6) habet. — habent Pr.

quælibet harum partium est punitio quedam. Sed hoc non potest esse : Quia totum universale non prædicatur in singulari de suis partibus pluralibus simul sumptis, sive sit genus, sive species; tres enim homines non sunt animal, sed animalia; unde, cum tres partes pœnitentiæ non sint tres pœnitentiæ, sed una, non potest esse quod sint tres partes subjective. Præterea, pœna quam pœnitens patitur, tota in rationem satisfactionis cadit : non enim sola pœnitentia exteriori homo Deo satisfacit, sed etiam interiori, alias oratio mentalis non esset satisfactoria; unde et pœna quæ est in contritione, et quæ est in confessione (α), in partem satisfactionis cedit; et quia satisfactio est ultima pars, totum sacramentum a pœna denominatur, sicut res denominatur ab ultimo sui. Et ideo alii dicunt quod sunt partes potentiales. Sed hoc iterum non potest esse : quia in partibus potentialibus totum adest secundum essentiam suam rationem cuilibet parti complete, sicut essentia animæ cuilibet potentiæ; sed tota ratio pœnitentiæ secundum speciem non est in quolibet horum. Præterea, unum eorum non includit in se vim omnium aliorum, quod requiritur in partibus potentialibus; sed unumquodque officium suum servit. — Et ideo dicendum cum aliis, quod sunt partes integrales. Sed sciendum est quod partes integrales sunt duplices. Quedam sunt partes quantitatis; quæ sunt quandoque unius rationis, ut in totis homogeneis; quandoque vero diversarum rationum, ut in totis heterogeneis. Quedam vero sunt partes essentiae, sicut materia et forma, non autem quantitatis; et hæc semper sunt diversarum rationum, et habent ordinem naturæ ad invicem, et quandoque etiam ordinem temporis in his quorum esse non est simul. Et huiusmodi sunt partes de quibus loquimur : quia pœnitentiæ sacramentum, secundum rationem suæ speciei, ex his tribus integratur; et una est prior alia secundum naturam, et quandoque etiam secundum tempus : eorum enim actuum qui sunt in pœnitentia materiales, non est totum esse simul, sed succedunt sibi invicem; sed quandoque plures eorum, quorum unus est prior alio per naturam, sunt simul tempore. » — Hæc ille.

Similia dicit, 3 p., q. 90, art. 3.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Ille partes de quibus simul sumptis totum prædicatur in singulari numero et non in plurali, et quarum nulli totum adest complete secundum totam essentiam rationem, sunt partes integrales, non autem subjective, nec potentiales. Sed contritio, confessio et satisfactio, sunt huiusmodi partes respectu pœnitentiæ. Ergo sunt ejus partes integrales, et non subjective, nec potentiales.

Et in hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### § 1. — CONTRA PRIMAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

**I. Argumenta Durandi.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem, contra primam et tertiam conclusiones arguit Durandus (dist. 16, q. 1), probando quod pœnitentia, ut est sacramentum, non habeat pro partibus tria prædicta, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem.

**Primo.** Quia omne sacramentum dispensatur a ministris Ecclesiæ secundum quamlibet sui partem. Sed nec contritio, nec confessio, nec satisfactio confertur pœnitenti a ministris Ecclesiæ. Ergo non quodlibet eorum est pars sacramenti pœnitentiæ.

**Secundo.** Si istæ sunt partes sacramenti pœnitentiæ, aut sunt partes subjective, aut integrales. Non subjective : quia totum salvatur perfecte in qualibet parte subjectiva; sed sacramentum pœnitentiæ non salvatur perfecte in aliqua istarum trium partium, quia sacramentum pœnitentiæ non salvatur perfecte in sola contritione, et sic de aliis; ergo non sunt partes subjective. Nec integrales : quia totum integrale requirit actualiter quamlibet sui partem; sed sacramentum pœnitentiæ, dum exhibetur, non requirit actualiter satisfactionem; ergo satisfactio non est de ejus integritate.

**Tertio.** Quia, præter materiam et formam, in sacramentis non est dare alias partes proprie dictas. Sed contritio et satisfactio non sunt materia nec forma sacramenti pœnitentiæ : forma enim consistit in verbis absolutionis; materia vero, si qua sit, in verbis confessionis, quibus pœnitens suam conscientiam aperit sacerdoti. Ergo contritio et satisfactio non sunt partes sacramenti pœnitentiæ, proprie loquendo.

**Quarto.** Specialiter arguit de contritione. Quia quicquid est de integritate sacramenti, oportet quod sit aliquid sensibile, extrinsecus adhibitum; loquimur enim modo de illo quod est sacramentum tantum. Sed contritio non est huiusmodi. Ergo non est de integritate sacramenti, tanquam pars intrinseca sacramenti pœnitentiæ. Sed præexigitur necessario ad hoc ut pœnitens sit dispositus ad suscipiendum effectum sacramenti, qui est gratia et remissio peccati mortalis : quia nullum peccatum potest remitti quamdiu voluntas manet in eo; voluntatem autem recedere ab eo quod prius volebat, est displicere ei quod prius placebat; in qua displicentia dolor contritionis consistit; et ideo contritio requiritur tanquam dispositio necessaria pœnitentis, et non tanquam pars intrinseca sacramenti.

**Quinto.** Arguit specialiter de satisfactione. Quia, deficiente aliquo quod est de necessitate sacramenti,

(α) confessione. — satisfactio Pr.

frustratur totum sacramentum. Sed si aliqui non exsolvant pœnitentiam in confessionesibi injunctam, nihilominus prius fuit verum sacramentum. Ergo satisfactio non est de intraneitate sacramenti pœnitentie, tanquam pars. Sed sicut contritio præexigitur tanquam dispositio pœnitentis, sine qua effectum sacramenti non reciperet; sic satisfactio concomitatur tanquam operatio sine qua fructus sacramenti in pœnitente non remaneret. Patet ergo, ut dicit, quod contritio et satisfactio non sunt partes sacramenti pœnitentie, proprie loquendo. Si vero sumatur pars large, pro omni eo quod requiritur ad debitam confessionem, sive antecedenter, sive consequenter, sic contritio et satisfactio possunt dici partes pœnitentie.

**II. Argumentum aliorum.** — Contra eandem (α) arguunt alii (apud Petr. de Palude, dist. 16, q. 4). Quia sine essentia sacramenti non habetur totus effectus sacramenti. Sed quandoque est tanta contritio, quod non requiritur satisfactio. Et sic sine satisfactione est perfectum sacramentum pœnitentie; et, per consequens, non est de essentia, cum sine parte essentiali non possit esse perfecta rei essentia.

**III. Argumentum Auctoris.** — Item (β) potest argui: Quia, si contritio sit pars integralis sacramenti pœnitentie, sequitur quod ille qui non contritus confitetur et absolvitur, non recipit integrum sacramentum pœnitentie, cum desit ei prima pars integralis. Sed hoc videtur falsum: quia, si sic, absolutio et confessio nihil in eo causarent tunc, nec post.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### § I. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

**I. Ad argumenta Durandi.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et ideo

Ad primum dicitur quod illud argumentum in forma solvit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 4, art. 1, q<sup>da</sup> 2, in solutione primi, dicens: « In sacramentis quæ habent pro materia aliquam rem corporalem, est duplex actus ministri Ecclesiæ:

scilicet sanctificatio materiæ per verbum Dei, et applicatio materiæ ad eum qui sacramentum suscipit. Sed in hoc sacramento, quod habet pro materia ipsum actum humanum, non potest ex ministerio sacerdotis materia applicari ad eum qui sacramentum suscipit, quia actus non sunt ab exteriori. Et ideo ad ministerium ipsius pertinet ipsorum actuum consummatio, secundum absolutionem et pœnitæ injunctionem; quod est quasi quedam sanctificatio. »

— Hæc ille. — Et in idem redit solutio Petri, dicentis (dist. 16, q. 4) quod « major est vera, quantum ad consummationem et applicationem materiæ, in his quæ habent materiam exteriorem; non autem in aliis. Immo aliquando tota essentia est absque ministerio Ecclesiæ, et sola consummatio accidentalis est per ministerium Ecclesiæ, ut in matrimonio, cujus essentia est sine ministro Ecclesiæ, etiam tota. Hoc autem constat, quod confessio, secundum omnes, est pars sacramenti pœnitentie; de qua certum est quod non ministratur per ministerium Ecclesiæ, sed ipsi ministro ab alio; sacerdos enim non est confessionis factor, sed auditor. Unde major habet locum solum in sacramentis quorum materia est aliud ab actu susipientis. Et ideo, etc. ».

— Hæc ille, et bene.

Ad secundum dicitur quod istæ tres partes sunt partes integrales pœnitentie, et non subjectivæ, nec potentiales. Et ad improbationem hujus, respondet sanctus Thomas, ubi supra (dist. 16, q. 1, art. 1), q<sup>da</sup> 3, in solutione tertii. Argumentum enim tertium erat tale: « Partes integrales alicujus totius quod habet esse permanens, sunt simul. Sed pœnitentia habet esse permanens, sicut et alia sacramenta. Ergo, cum partes pœnitentie non sint simul, non erunt partes integrales. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod illud quod est materiale in pœnitentia, est actus nostri; et quia illi actus non habent esse permanens, ideo nec pœnitentia. Et sic objectio ex falso procedit. » — Hæc ille. — Et, in solutione secundi, ponit quod pœnitentia est ens et totum successivum.

Ad tertium respondet Petrus de Palude (dist. 16, q. 4), dicens quod « in substantia naturali non sunt partes essentielles nisi una (α) materia et una (β) forma substantialis; tamen in composito artificiali partes dicuntur materiales, quæ se tenent ex parte materiæ, et partes formales, ea quæ se tenent ex parte formæ. Unde contritio, quæ est dispositio confessionis et præit confessionem, potest dici materia remota, sicut confessio materia propinqua. Et sicut absolutio est forma, sic satisfactio in absolutione injuncta, est pars formalis et pars formæ: quia, sicut non est confessio perfecta, nisi contritio

(α) *Contra eandem.* — sexto Pr.

(β) *Item.* — septimo Pr.

(α) *una.* — vera Pr.

(β) *una.* — vera Pr.

precedat vel concurrat, sic non est absolutio perfecta a culpa et totali poena, nisi satisfactione completa; unde, sicut contritio est pars materiae, sic satisfactio est pars formae. » — Haec ille, et bene. — Potest tamen dici quod satisfactio etiam se tenet ex parte materiae, et non ex parte formae: quia, etsi sequatur absolutionem quoad esse exercitum et ejus executionem, tamen precedit eam quoad esse conceptum et propositum vel intentum. Ipsa etiam satisfactio incipit in contritionis dolore, ut alias dictum est (x). Et ista responsio consona est dictis sancti Thomae, potissime, 4. *Sentent.*, dist. 22, q. 2, art. 2, in solutione primae et secundae quaestionum, ubi pluries dicit quod, in sacramento poenitentiae, actus poenitentis se habent loco materiae, actus autem sacerdotis loco formae.

Ad quantum respondet Petrus (ibid.), negando majorem. « Quia, cum de integritate sacramenti sit intentio, secundum arguentem, et specialiter in matrimonio, quae tamen non est materia sensibilis, potest dici quod consensus in matrimonio est pars sacramenti: sive materialis, in quantum est dispositio materiae, id est, personae contrahentis; vel formalis, in quantum exprimitur per verba formae. Et in aliis, intentio conferentis (z) est quasi formalis, et intentio suscipientis est quasi materialis. Ex quo enim est de essentia sacramenti, videtur reduci ad materiam, vel ad formam, et ad id quod est sacramentum tantum: cum, praeter illud, sit ibi res et sacramentum, id est, character, vel vinculum, aut ornatus; et aliquid quod est res tantum, scilicet gratia. — Vel potest dici quod contritio non est pars poenitentiae sacramenti, nisi prout per verba sensibilibus manifestatur, et per satisfactionem. Sic enim tres partes poenitentiae inveniuntur in exteriori poenitentia, et in interiori. Quia contritio, secundum quod in se manet, disponens ad gratiam, est res sacramenti, et non pars sacramenti; secundum autem quod innuitur per signa sensibilia in exteriori poenitentia, sic est pars sacramenti. Propter quod sciendum quod contritio accipitur dupliciter. Uno modo proprie, pro actu gratia informato; et sic non est pars sacramenti, sed est res sacramenti, vel primus effectus ejus, vel habitudo intenti vel suscepti. Secundo modo, accipitur pro actu liberi arbitrii dolentis de peccato, qui non potest dici res sacramenti, cum non sit effectus ejus, sed est ejus principium; et sic est pars sacramenti, prout exterius significatur actu vel habitu. Sicut consecratio chrismatis, et olei ad infirmos, est pars sacramenti materialis, in quantum non est materia immediata illorum sacramentorum nisi consecrata; et tamen, licet consecratio sit quid sensibile, tamen esse consecra-

tum non est aliquid sensibile, sed solum intelligibile; quia tamen est in materia sensibili, et innotescibile per consecrationem, quae est actio sensibilis, ideo est pars sacramenti. » — Haec Petrus.

Item, quod contritio sit pars essentialis sacramenti poenitentiae, et non solum dispositio ad effectum sacramenti ostendit Petrus (ibid.) dupliciter. « *Primo.* Quia, sicut matrimonium consistit in actu suscipientis, non habens materiam exteriorem; sic poenitentia. Sed, propter hoc, est ibi de essentia non solum actus exterior, sed etiam consensus interior, sine quo nihil agitur. Ergo similiter et contritio in poenitentia (a); nisi quod in hoc differt poenitentia a matrimonio: quia in matrimonio idem est actus interior quo intendit suscipere sacramentum, et qui est pars sacramenti, scilicet consensus (nisi forte respectu benedictionis Ecclesiae, quam si recipere intenderet, nisi ideo matrimonium consentiret, matrimonium non esset); hic autem est alius actus quo intendit suscipere sacramentum poenitentiae, qui non est pars sacramenti, et alius est actus quo dolet de peccato, qui est pars sacramenti, et per se requiritur non solum sicut dispositio praecambula, sed sicut pars sacramenti. — *Secundo.* Quia, si esset solum praecambulum, cum restitutio, quae requiritur solum isto modo, non includat partes poenitentiae nec in facto nec in proposito, sed est perfecta restitutio sine proposito confitendi, esset vera contritio sine proposito satisfaciendi et confitendi (b). Non est autem contritio vera, nisi cum proposito confitendi et satisfaciendi, si facultas adsit. Hoc est autem proprietas partis habere habitudinem ad aliam partem in comparatione ad totum, et non secundum se: sicut lapides et ligna non habent, in quantum hujusmodi, habitudinem ad fundamentum et tectum; sed ut sunt illa pars domus, quae dicitur paries, sic habent. Ergo, etc. » — Haec Petrus, et bene quoad solutionem argumenti. Non enim oportet quod omne quod est pars sacramenti proprie dicta, sit aliquid sensibile sensu exteriori in se; sed sufficit quod sit sensibile in se, vel in suo signo, vel effectu proximo, aut sensu interiori organico. Unde sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 22, q. 2, art. 1, q<sup>da</sup> 2, in solutione tertii, sic dicit: « Tres partes poenitentiae sunt in poenitentia interiori et exteriori: quia confessio et satisfactio, quae videntur tantum ad exteriorem poenitentiam pertinere, inveniuntur in interiori poenitentia, quantum ad propositum et praemeditationem earum (c); et etiam contritio, quae videtur tantum esse interioris poenitentiae, invenitur in poenitentia exteriori, secundum quaedam signa, quibus sensibilibus manifestatur, vel aliis, vel saltem ipsi poenitenti, qui

(x) in poenitentia. — Om. Pr.

(z) a verbo esset usque ad confitendi, om. Pr.

(c) praemeditationem earum. — praemeditationem eorum Pr.

(a) Cfr. praeter illud dist. 14, q. 1, art. 3, § 1, 1; similiter dist. 15, q. 1, art. 3, § 2, 1, ad 1<sup>am</sup>, in fine.

(b) conferentis. — confitentis Pr.

dolorem sensibilem percipit in seipso. » — Hæc ille. — Item, dist. 17, q. 2, art. 1, q<sup>ba</sup> 2, in solutione primi, sic dicit : « In contritione est duplex dolor de peccato. Unus est in parte sensitiva, qui est passio. Et hic non est essentialiter contritio, prout est actus virtutis, sed magis effectus ipsius. Sicut enim pœnitentiæ virtus exteriorē pœnam suo corpori infligit, ad recompensandum offensam quæ in Deum commissæ est officio membrorum; ita etiam ipsi concupiscibili pœnam infert doloris prædicti, quia ipsa etiam ad peccatum cooperabatur. Sed tamen hic dolor potest pertinere ad contritionem, inquantum est pars sacramenti : quia sacramenta non solum consistunt in interioribus actibus, sed etiam in exterioribus; et in rebus sensibilibus nata sunt esse. Alius dolor est in voluntate, etc. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod contritio, prout est pars sacramenti, est aliquantulum sensibilis, et non solum intelligibilis, et sensu interiori in se, et sensu exteriori in suo signo vel effectui, potissime quoad dolorem partis sensitivæ.

Ad quintum respondet Petrus (ibid.): — Et primo probat quod satisfactio sit pars sacramenti pœnitentiæ. « Primo : Quia illud quod recedente fictione vivificatur et habet efficaciam factum in mortali, est sacramentum, vel pars ejus : nullum enim opus quod non est sacramentum, factum in mortali, potest vivificari. Sed pœnitentia facta in mortali, si habuit effectum derelictum, per pœnitentiam incipit esse satisfactorium, sicut baptismus recedente fictione. Ergo, etc. Secundo : Sicut ad deletionem originalis peccati sufficit baptismus, vel (x) propositum baptismi veri, et non alterius; sic ad deletionem actualis sufficit propositum pœnitentiæ sacramenti, vel ejus susceptio per se. Sed nisi homo haberet propositum satisfaciendi sicut confitendi, non remitteretur culpa; nisi etiam satisfactio præcederet vel sequeretur, non remitteretur tota pœna. Ergo satisfactio est ita de essentia pœnitentiæ sicut confessio. » — Secundo loco respondet directe ad argumentum, dicens quod « hujusmodi partes non sunt integrales essentielles totius permanentis, quia illæ sunt simul; sed totius successivi, cujus partes non sunt simul. Unde videtur quod satisfactio sit magis pars essentialis quam confessio et absolutio. Quia, cum pœnitentia fuerit verum sacramentum in omni lege, naturæ, et scriptæ, et gratiæ, maxime secundum illud quod est in ea sensibile, de tota pœnitentia nihil in lege naturæ erat sensibile nisi sola satisfactio, quia tunc non erat confessio nec absolutio; nec in lege veteri erat absolutio. Ergo vel pœnitentia non erat sacramentum in lege naturæ, vel sacramentum erat aliquid insensibile, vel (b) satisfactio erat de ejus essentia. Cum ergo satisfactio

non sit minus necessaria nunc quam tunc, videtur quod nunc sit de essentia sicut tunc, licet aliquid sit additum: quia sacramentis communibus omni legi remansit aliquid essenziale commune; sicut matrimonio consensus et verba et alia signa, sicut olim, ita et nunc sunt de essentia. — Præterea : si argumentum valeret, confessio et absolutio, quæ non sunt simul, non essent partes integrales. Similiter, ante consecrationem sanguinis, et unctionem pedum, est verum sacramentum, sed non completum; et tamen illæ sunt partes essentielles sacramenti Eucharistiæ et extremæ unctionis; ergo et hic ». — Hæc Petrus, et bene. Intendit enim dicere quod si satisfactio injuncta non impleatur, illud quod præcessit, scilicet contritio, confessio et absolutio, fuit quidem verum sacramentum pœnitentiæ, sed non completum ultimo complemento.

Ad alia vero quæ sequuntur in argumento, respondet Petrus (ibid.), dicens : « Quando autem dicitur quod Magister et Sancti vocant hujusmodi partes pœnitentiæ, respondent quidam, et dicunt quod capiuntur partes large, pro eo quod requiritur ad sacramentum pœnitentiæ vel antecedentè vel consequenter. Sed hoc est falsum : quia, si sic esset, tunc non deberet dici sacramentum pœnitentiæ, sed confessionis, vel absolutionis, ex quo nec pœnitentia interior, nec exterior, est de ejus essentia; et tunc sacramentum pœnitentiæ non est in lege gratiæ, sed solum sacramentum confessionis et absolutionis, quod differt specie, nihil habens essenziale tale quale sacramentum pœnitentiæ habuit in lege naturæ vel Moysi; quod videtur absurdum, quia tunc esset ex toto sacramentum novum, si non fuit in lege antiqua secundum essentiam, nec secundum partem essentialem, sed solum secundum figuram. Et quod dicit Thomas, quod matrimonium et pœnitentia præfuerunt essentialiter non ut sacramenta, sed prout sunt in officium et actum virtutis, — verum est quod non præfuerunt, ut sunt sacramenta novæ legis totaliter; sed ut sacramenta, præfuerunt. Quia quodcumque fuit morbus, fuit sacramentum contra morbum remediandus; unde, cum Adam fuerit eductus a suo peccato (quod non est nisi per sacramentum pœnitentiæ), ergo omnino erat tunc pœnitentiæ sacramentum; sed non quoad absolutionem et confessionem, nec quoad alia prout ista includunt, quia non oportebat quod esset contritio cum proposito confitendi, nec satisfactio injuncta a sacerdote; sed secundum se materialiter erant. Similiter matrimonium. »

Item, contra eadem dicta Durandi arguit sic (ibid.): « Illud sacramentum quod per essentiam fuit in omni lege quantum ad aliquid sui, secundum illud habet partem essentialem in nova, secundum quod in antiqua : sicut matrimonium, quod per essentiam fuit in omni lege, consensum et expressionem quam habuit in omni lege, habet

(x) baptismus, vel. — Om. Pr.

(b) vel. — et Pr.

per essentiam in nova, sicut in antiqua; alias non fuisset per essentiam, si nihil idem essenziale habuisset in omni lege. Sed poenitentia fuit per essentiam in omni lege post peccatum; et habet nunc contritionem et satisfactionem, non minus quam tunc. Sed tunc erat utraque ejus pars essentialiter: contritio quidem, quia maxime operabatur ex opere operante, in quo illa excellit; similiter satisfactio, alias nihil sensibile fuisset pars illius sacramenti, in quo non erat confessio nec absolutio. Ergo, etc. — Forte dicetur quod non sequitur, si contritio et satisfactio erant olim sacramenta, quod propter hoc modo sint: quia, in lege antiqua, oblationes quae fiebant pro peccatis, erant sacramenta, non autem modo; et similiter decimae et oblationes erant sacramenta, quae modo non sunt (α). — Sed dicendum quod illa quae in nova lege remanserunt non secundum rationem illam secundum quam erant olim sacramenta, non sunt sacramenta; quia, cessante causa, cessat effectus: sicut illa de quibus arguitur, non erant olim sacramenta nisi inquantum figuralia; sic autem non remanserunt nunc (quia sic esset judaizare), sed inquantum moralia, in sustentationem pauperum et (β) ministrorum. Sed illa in quibus eadem ratio sacramenti remansit, vel melior successit, illa sunt sacramenta, sicut prius: sicut oblatio altaris est perfectius sacramentum quam agnus paschalis, et quaecumque oblatio antiqua; quia significat gratiam, et continet et causat eam per essentiam. Et similiter, quia contritio et satisfactio erant partes sacramenti, inquantum medela peccati, quae non minus habent nunc quam ante, ideo nunc sunt partes sacramenti, sicut tunc. — Item: Quia confessio et absolutio non sunt essentialiter poenitentia, quia potest confiteri impoenitens, et absolvi; conteri vero est essentialiter poenitere, quia actus a poenitentia elicitus; similiter satisfacere est poenam tenere, et actus a poenitentia imperatus; et ab istis duobus tractum est nomen poenitentiae, non ab aliis duobus. Unde et erat poenitentia, quando non erat confessio et absolutio. Propter quod, si in nova lege contritio et satisfactio non sunt de essentia sacramenti et ejus integritate, sed solum se habent ad ipsum sacramentum sicut dispositio antecedens et consequens, non debet dici sacramentum poenitentiae, sed solum sacramentum confessionis et absolutionis: sicut dicitur remedium contra originale, non sacramentum catechismi vel exorcismi, vel etiam poenitentia ante baptismum, quae tamen necessario requiritur in adulto, nec unctio, quae postea fit in vertice; sed dicitur sacramentum baptismi, quia baptismus est ablutio sub forma verborum, in qua est tota essentia. Sed hoc est contra commune dictum theologorum et jurista-

rum, qui vocant sacramentum poenitentiae. Ergo, etc. — Item: Sicut se habet baptismus ad originale, sic poenitentia ad actuale. Sed solus baptismus, circumscripto omni alio quod non est de essentia, sufficit ad deletionem originalis. Ergo sola poenitentia sufficit ad deletionem actualis. Sed confessio et absolutio non sufficiunt sine contritione et satisfactione. Ergo ista duo sunt de essentia sacramenti, sicut illa. » — Haec Petrus, et bene.

Sciendum tamen quod Durandus (dist. 14, q. 3) concedit quod sacramentum istud non debet nominari sacramentum poenitentiae, sed potius sacramentum confessionis, vel absolutionis, ut prius recitatum fuit (α). Sed in hoc false dicit, ut supra ostensum est (β).

Sciendum ulterius, quod sanctus Thomas videtur contradicere dictis Petri. Ipse namque, 4. *Sentent.*, dist. 8, q. 1, art. 2, in solutione primae questionculae, sic dicit: « Sacramenta novae legis tripliciter se habent ad veterem legem. Quaedam enim essentialiter fuerunt in veteri lege, quamvis non ut sunt sacramenta novae legis, sed magis secundum quod sunt in officium vel actum virtutis; sicut poenitentia, ordo, et matrimonium. Quaedam vero fuerunt secundum aliquid eis respondens, non essentialiter; sicut baptismus et Eucharistia. Quaedam autem nihil respondens habuerunt in veteri lege; sicut confirmatio et extrema unctio. Cujus ratio est: quia prima tria sacramenta non solum sunt sacramenta; sed poenitentia est actus virtutis, ordo autem pertinet ad officium dispensationis sacramentorum, matrimonium ad officium naturae; et ideo in qualibet lege requiruntur, etc. » Sed notandum quod non intendit dicere quod poenitentia, in lege naturae, vel Moysi, nullo modo esset sacramentum; sed solum quod non fuit illo modo sacramentum, quo nunc in nova lege est sacramentum. Et quod ita intelligat, patet. Nam, prima distinctione *Quarta*, q. 1, art. 2, q. 3, in solutione secundi, sic dicit: « Ante legem scriptam erant sacramenta quaedam necessitatis: sicut illud fidei sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati; et similiter poenitentia, quae ordinabatur ad deletionem actualis; et similiter matrimonium, quod ordinabatur ad multiplicationem generis humani. Sed sacrificia, et oblationes, et hujusmodi, erant voluntatis et necessitatis in communi, ut scilicet aliquid facerent in professionem fidei suae, qua Deo per religionem patriae subjecti erant; sed in speciali erant voluntatis, utrum scilicet deberent sacrificia exhibere, vel oblationes, vel aliquid hujusmodi. » — Haec ille. — Ex quo patet quod, secundum eum, ista tria erant sacramenta in lege naturae; et constat quod etiam in lege Moysi. Qualiter autem non eodem

(α) a verbis non autem modo, usque ad sunt, om. Pr.

(β) et. — Om. Pr.

(α) Cfr. dist. 14, q. 1, art. 2, § 1, 1.

(β) Cfr. dist. 14, q. 1, art. 3, § 1, 1.

modo erant sacramenta sicut nunc sunt, patet specialiter de matrimonio. Unde sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 26, q. 2, art. 2, sic dicit: « Natura inclinat in matrimonium, intendens aliquod bonum, quod quidem variatur secundum diversos hominum status; et ideo oportet quod secundum illud bonum diversimode in diversis statibus hominum instituitur. Et ideo matrimonium, secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria, peccato non existente, institutum fuit ante peccatum. Secundum autem quod remedium præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum, tempore legis nature. Secundum autem determinationem personarum, habuit institutionem in lege Moysi. Sed secundum quod representat mysterium conjunctionis Christi et Ecclesiæ, institutionem habuit in lege nova; et, secundum hoc, est sacramentum novæ legis. Quantum autem ad alias utilitates quæ matrimonium consequuntur, sicut est amicitia et mutuum obsequium sibi a conjugibus impensum, habet institutionem in lege civili. Sed quia de ratione sacramenti est quod sit signum et remedium, ideo, quantum ad medias institutiones, competit ei ratio sacramenti; sed, quantum ad primam institutionem, competit ei quod sit in officium nature; quantum vero ad ultimam, quod sit in officium civilitatis. » — Hec ille. — Et sicut dictum est de matrimonio, ita suo modo potest dici de aliis.

**II. Ad argumentum aliorum.** — Ad argumentum aliorum, respondet Petrus (dist. 16, q. 4), dicens: « Dicendum quod perfectus effectus sacramenti aliquando habetur ex solo proposito sacramenti, sine hoc quod aliquid de essentia sacramenti habeatur: sicut per baptismum fluminis et sanguinis aliquando habetur quicquid est res tantum in baptismo; qui (z) tamen non est de essentia baptismi fluminis, ut patet in pueris baptizatis. Et multo magis per partem sacramenti quæ est contritio, sine confessione et satisfactione, habetur aliquando effectus, quamvis de confessione et absolutione non sit dubium quin sint de essentia sacramenti. — Sed si dicatur quod per se et semper requiritur confessio et absolutio, non autem semper satisfactio; — dicendum quod immo semper requiritur contritio et satisfactio, non autem confessio et absolutio: quia, in venialibus, non requiritur confessio, nec absolutio; sed requiritur contritio, et satisfactio, vel hic, vel alibi. — Et si dicatur quod non est sacramentum, quia est post hanc vitam; — dicendum est quod verum est, inquantum huiusmodi, sed quia ibi requiruntur in supplementum, quia hic non fuerunt, ubi per se primo esse debuerunt. Et similiter, confessio et absolutio, si neces-

sitas impediatur, non sunt necessaria; sed alia duo semper sunt necessaria, vel hic, vel alibi. Item, quando contritio delet omnem penam, hoc est inquantum habet dolorem pro satisfactione admixtum, qui æquipollet penæ alteri, cum etiam quandoque sit jam (z) penalis quod mori faciat. » — Hec Petrus, et bene, si bene intelligatur. Cum enim dicit quod contritio et satisfactio magis sunt necessaria quam confessio et absolutio, hoc potest bene et male intelligi. Si enim intelligatur quod contritio et satisfactio sunt magis necessaria ad integritatem et essentiam sacramenti penitentiae, quam confessio et absolutio, falsum est quod dicitur: quia nullo modo potest esse sacramentum penitentiae sine confessione et absolutione; potest tamen esse sine contritione et satisfactione, licet non quantum ad suum ultimum complementum. Si autem intelligatur quod prima duo sunt magis necessaria ad suscipiendum ultimum effectum sacramenti, scilicet remissionem peccati et infusionem gratiæ, quam alia duo, tunc verum dicit Petrus: quia sine contritione et satisfactione non potest haberi plenaria peccati remissio quantum ad culpam et penam; quæ tamen potest haberi sine actuali confessione et satisfactione, non tamen sine proposito confitendi et absolviendi, loquendo de peccato mortali.

**III. Ad argumentum Auctoris.** — Ad ultimum (z), dicitur quod de sacramento penitentiae possumus loqui dupliciter. Primo modo, quantum ad suam primam perfectionem et actum primum, vel primam integritatem, sine qua non manet ejus essentia, nec veritas sacramenti. Et isto modo partes ejus sunt absolutio, confessio, et aliqualis displicentia de peccatis, sive sit contritio, sive attritio, sive qualiscunque alius dolor vel detestatio peccatorum. Et ubi aliqua istarum partium deesset, alie due non sufficerent, nec ad integritatem sacramenti, nec ad ejus primam perfectionem vel actum primum. Secundo modo, possumus loqui de sacramento penitentiae quantum ad secundam suam perfectionem, quæ scilicet continet et illud quod est sacramentum tantum, et illud quod est res tantum, et id quod est res et sacramentum. Et hanc secundam perfectionem non habet sine contritione; nec sufficit ad illam quicunque alius dolor, nisi sit contritio. Patet ergo ad argumentum. Quia qui confitetur, et absolvitur, et non conteritur, nec aliquam habet displicentiam de peccatis, nihil recipit; quia nullum est ibi sacramentum, propter defectum unius ejus partis, scilicet doloris. Qui vero absolvitur, et confitetur, et non conteritur, sed dolet, licet imperfecte, verum recipit sacramentum, ex quo aliquid in eo relinquitur, quod est res et sacramen-

(z) qui. — quæ Pr.

(z) tam. — causa Pr.

(b) ultimum. — septimum Pr.

tum, quod quidam vocant ornatum; non tamen recipit ultimam rem sacramenti, scilicet gratiam vel remissionem peccatorum. Qui autem conteritur, confitetur, absolvitur, perfectum recipit sacramentum, tam prima quam secunda perfectione; et ex sacramento recipit non solum primam, sed ultimam rem sacramenti. Et de hoc, Domino concedente, dicetur latius in sequenti distinctione. Et quia dolor primi sacramenti non est formatus charitate, sicut est dolor secundi, ideo primum sacramentum potest dici informe, secundum vero dici formatum. Et, consequenter, dicendum quod contritio est pars essentialis formati sacramenti penitentiae; non autem informis, quia ad illud non requiritur contritio, sed attritio, vel alius dolor.

Ad argumentum contra conclusionem, patet responsio per praedicta (2).

Et hoc de questione. De qua benedictus Deus. Amen.

## DISTINCTIO XVII

### QUESTIO I.

UTRUM VERE CONTRITUS ET PENITENS PLUS DEBEAT ELIGERE POENAM INFERNI, VEL OMNINO NON ESSE, QUAM PECCARE.

**C**IRCA decimanonseptimam distinctionem 4. *Sententiarum*, primo queritur: Utrum vere contritus et penitens plus debeat eligere poenam inferni, vel omnino non esse, quam peccare.

Et arguitur quod sic. Quia non minus debet aliquis eligere poenam inferni, vel omnino non esse, ad vitandum culpam, si essent necessaria ad eam vitandam, quam debeat fortis eligere mori, ad vitandum culpam oppositam fortitudini. Sed, secundum rectam rationem, fortis debet eligere mortem, ad vitandum vitium oppositum fortitudini, quando de facto oportet alterum incurrere; ut docet Philosophus, 3. *Ethicorum* (cap. 6 et 9). Ergo christianus debet eligere incurrere poenam inferni, vel omnino non esse, ad vitandum peccatum mortale, quod est offensivum Dei, si oporteret alterum incurrere.

In oppositum arguitur. Quia majus malum magis est fugiendum. Sed esse in inferno, vel omnino non esse, est majus malum quam peccare. Ergo magis est fugiendum, et minus est eligendum. Minor probatur. Quia illud est majus malum, quod privat

plus de bono. Sed omnino non esse privat esse bonum; esse autem in inferno privat non solum bonum moris et meriti, sed etiam possibilitatem redeundi; malum autem culpae neutrum praedictorum privat. Ergo, etc.

In ista questione sunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

## ARTICULUS I.

### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod contritus tenetur in generali velle pati magis quaecumque poenam quam peccare; non tamen tenetur in speciali descendere ad poenam inferni, aut aliam.

Hanc conclusionem ponit sanctus Thomas, 1. *Quodlibeto*, art. 9, ubi sic dicit: « Contritus tenetur in generali velle pati magis quaecumque poenam quam peccare. Et hoc ideo, quia contritio non potest esse sine charitate, per quam omnia peccata dimittuntur; ex charitate autem plus homo diligit Deum quam seipsum; peccare autem est facere contra Deum, puniri (2) autem est aliquid pati contra seipsum; unde charitas hoc requirit ut quamlibet poenam homo contritus praecipiat culpae. Sed in speciali descendere ad hanc poenam, vel ad illam, non tenetur; quinimmo stulte faceret, si quis seipsum vel alium sollicitaret super huiusmodi particularibus poenis. Manifestum est enim quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur; et aliqui sunt, qui minori tentatione (6) non cadunt, qui forte majori caderent: sicut aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem; sed, si per considerationem descendat ad singulas illecebras, magis moveretur. Et similiter aliquis non refugiret in generali audiens se debere mori pro Christo; sed, si descenderet ad considerandum omnes penas, magis retraheretur. Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem, et praebere occasionem peccandi. » — Haec ille.

Hem, ibidem (arg. Sed contra), adducit dictum Anselmi in libro *de Similitudinibus* (cap. 190), qui dicit quod aliquis oportet magis eligere esse in inferno sine culpa, quam in paradiso cum culpa;

(1) puniri. — punire Pr.

(2) tentatione. — tempore Pr.